

HONOR.

1. Remotis obstaculis insanæ opinionis, scelera nuda pensentur, nuda inspiciantur, fallaciæ tegmina, et vanæ laudes et gloriæ auferantur: et apparebunt miseriæ peccatorum. *Aug. lib. 5. de civ. Dei.*

2. Gloriam et honorem non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem. Unde honores quos expelunt multi, Cælo petere non debuit, sed eos civitas, ob ejus virtutem non petenti dare. *Aug. ibid. lib. 5.*

3. Rerum, gentium, nationumque imperium penes reges erat, quos ad fastigium honoris non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. *Aug. lib. 4. de civ. Dei.*

4. Ubi honor non est, ibi contemptus est, ubi contemptus, ibi frequens injuria, ibi et indignatio: ubi indignatio ibi quies nulla: ubi quies nulla, ibi mens a proposito sæpe dicitur: ubi autem per inquietudinem aliquid aufertur, ex studio minus fit ab eo, quod tollitur, et quod minus est, perfectum dici non potest. Ex hac supputatione illa sententia nascitur, Monachum in patria sua perfectum esse non posse: perfectum aut esse nolle, delinquere est. *Hier. in epist.*

5. Non est dignum, ut inde exigas honorem, unde refugis laborem. *Ibidem.*

6. *Dejecisti eos, dum allevarentur:* quum allevantur, dejectur, qui honoribus proficit, et moribus cadit. *Greg. in re.*

7. Dum mali præpositi suum contra veritatem honorem exigunt, a omni rectitudine sequentium corda subvertunt. *Greg. in moral.*

8. Prædicatores boni et honorem propter elationem fugiunt: et honorari tamen propter imitationem volunt. *Ibidem.*

9. Honor malis exhibitus in eorum commutatur ruinam. *Greg. in 7. moral.*

10. Differentia dignitatis facta est inter sanctos, ut unus sit episcopus, alius minister: contumacia carnis

coëgit, et perversitas mundi, et operatio inimici, honores, ut videantur esse, sed re vera non sunt, imo ministeria. *Chrys. super Matth.*

11. Quicumque desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem: non enim qui major fuit in honore, ille major: sed qui justior, ille major. *Ibidem.*

12. Honor verus virtus animi est: hic honor, nec à Cæsaribus præstatur, neque adulatione conquiritur, neque pecunia præparatur, nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihil occulti: hujus honoris successor est: nullus est accusator: nullus ingratus. *Chrys. de rep. lap.*

13. Honoris magnitudo his, qui pro digno vivunt honore, stimulus esse incipit pœnarum. *Chrys. super Matth.*

14. Episcopus si debitum honoris non acceperit à presbytero, aut presbyter si non acceperit à diacono, aut diaconus à lectore, irascitur et turbatur: si autem viderit episcopus presbyterum, aut presbyter diaconum circa obsequium ecclesiæ non permanentem, aut alas peccantem in Deum, neque irascitur ei, neque curat, quia omnes quidem de suo honore solliciti sunt, de honore autem Dei nullus. *Ibidem.*

15. Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. *Bern. in Cant.*

16. Christus ad sanandum filium reguli ire noluit, ne divitias honorare videretur: ad servum vadit, ne servilem conditionem sprevisse putaretur. In hoc superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramus. *Beda.*

17. Qui primatus sui auctoritatem perdit, in despectionem et angustiam se mittit: qui autem locum suum sapienter custodit, se ac suos ad profectum dirigit. *Glo. super ill. Eccl. 25. Melius est, ut filii, etc.*

18. Quidam honores fugiunt, ut honoribus obviant: subesse fugiunt, ut possint præesse. Sæpè enim gloria, ut acquiratur, contemnitur: et mundus, ut obtineatur, relinquatur. *Hugo.*

19. Parati filii hominum ad honores angelicis humanis formidandos: non tamen virgula debet esse, cui domus innilitur, nec vitulus, sed bos ad aratrum ponitur. *Ibidem.*

20. Decet quidem cunctos patriæ suæ augmenta cogitare, sed eos maxime, quos Respublica sibi summis honoribus obligavit: quia rectum est, ut eum necesse sit plus debere, qui visus est majora suscipere. *Cass. lib. 4. epist.*

21. Dignum enim videtur, ut qui est scientia præditus reddatur honore reverendus. *Ibidem.*

22. Honor est premium virtutis, studio iudiciorum civium ad aliquem delatum. *Cicer. de clar. Or.*

23. Gloriam et honorem et imperium bonus et ignavus æque sibi exoptat. Bonus, vera via nititur, sed ignavus, quia bonæ artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. *Sallust.*

24. Abstrahunt nos à certo divitiarum, honores, potentia, etc. quæ in opinione nostra chara sunt pretio suo vilia: nihil habent magnificum, quo mentes nostras in se trahant, præter hoc quod mirari illa consuevimus: non enim quæ concupiscenda sunt, laudantur: sed concupiscuntur, quia laudata sunt. *Seneca 82. epist.*

25. Quæcumque videntur eminere rebus humanis, quamvis pusilla sint, et comparatione humillimorum, difficiles ac arduos tramites habeant, confragosa in fastigium dignitatis via est: hac tamen scandere hunc verticem libet, cui fortuna se submisit: omnia quidem sub te, quæ pro excellentissimis habentur aspice, et tunc venies ad summam per planum. *Sen. 85. epist.*

26. Cum velis veram hominis æstimationem habere, et scire qualis sit, nudum inspicere: deponat patrimonium, deponat honores, et alia fortunæ mendacia; corpus ipsum exuat, animum intueri, qualis, quantus sit, alieno aut suo magnus. *Seneca. 77. epist.*

27. Homines candidatos viros bonos dicimus, quomodo obvios, si nomen non occurrat, duos salutamus. *Seneca. epist.*

28. Pecunia ex quo in honore esse cæpit, verus rerum honor cecidit. *Seneca. in epist.*

Vide etiam in tit. Acceptio, num. 1, 8. in tit. Adulatio, num. 21. in tit. Ambitio, num. 11. in tit. Amicitia, num. 31, 33. in tit. Avaritia, num. 52, 53. in tit. Creatio, num. 1, 4. in tit. Divitiarum, num. 15. 32. in tit. Gloria vana, num. 4, 20, 26, 27. in tit. Homo, num. 7, 13. in tit. Martyrium, num. 1. in tit. Prædicatio, num. 24. in tit. Prælatio, num. 58. in tit. Reverentia et Sacerdos, num. 1, 4. in tit. Solemnitas, num. 4. in tit. Sollicitudo, num. 18.

HONESTAS.

1. Tanta est probitatis vis et honestatis, ut omnis vel penè omnis ejus laude moveatur humana natura, nec usque adeo sit turpitudine vitiosa, ut totum amittat sensum honestatis. *Aug. lib. 2. de Civ. Dei.*

2. Tantus splendor honestatis est, ut vitam beatam efficiat tranquillitas conscientiarum, et securitas innocentiarum. *Amb. lib. 2. de Offic.*

3. Nihil turpe faciendum bono viro, etiamsi ex omni parte lateat, etiamsi omnes Deos hominesque celare possimus. Nihil tamen in nobis avare, nihil injuste, nihil libidinosè, nihil incontinentè esse faciendum. Sapientis enim est proprium, nihil quod continere possit facere, nihil injuste, sed splendide, consulanter gravius, honestè omnia. *Tull. 5. de Offic.*

4. Ecce torpent ingenia desidiosæ juventutis, nec in unius honestæ rei labore vigilatur: somnus languorque et somno et languore turpior, malarum rerum industria invasit animos, cantandi saltandique obscœna studia effœminatos tenent: et ad muliebres blanditias extendere vocem, mollitia corporis certare cum feminis, et immundissimis se extollere immunditatis, nostrorum adolescentium specimen est, qui sunt expugnatore alienæ immunditiæ, pudicitia, negligentes suæ. *Seneca. in Rhet.*

5. Ita vive, ut nihil tibi committas, nisi quod com-

mittere etiam inimico tuo possis. *Senec. in epist.*

6. Melius probas honesta, quam sequaris. Vides ubi posita sit felicitas, sed ad illam pervenire non audes. *Senec. 20. epist.*

Vide etiam in tit. Clericus, núm. 1. in tit. Conscientia, núm. 23. in tit. Conversatio et Divitiarum, núm. 15. in tit. Doctrina, núm. 2, 10. in tit. Homo, núm. 31, 32, 34. in tit. Lascivia, núm. 4, 5. in tit. Modestia et Temperantia, núm. 17.

HOSPITALITAS.

1. Disce, christiane, sine discretione exhibere hospitalitatem, ne forte cui domum clauderis, cui humanitatem negaveris, ipse sit Deus. *Aug. con. hæres.*

2. Obsecutus Loth angelis tanquam peregrinis consuetudine hospitalitatis, liberatus à periculo civitatis, et temporale evasit incendium, et æternum consecutus est præmium. *Ibidem.*

3. * Hospitalitatis officio ad Christi cognitionem venimus. *Idem 2. qu. Evang.*

4. Tanta est apud Deum hospitalitatis gratia, ut ne potus quidem aquæ frigidæ à præmiis remunerationis immunis sit. Vides quia Abraham Deum recepit hospitio, dum hospites quærit: vides quia Loth angelos recepit: unde scis an et tu quum suscipis hominem, suscipias Christum: licet in hospite Christus sit, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait: *Hospes fui, etc. Ambr. de Offic.*

5. Est publica species humanitatis, ut peregrinus in hospicio non egeat: suscipitur officiose, ut paleat adveniendi janua. *Ibidem.*

6. Ut humanitatis intuitu hospicio recipiat non habentes hospitium, et egenum sine tecto inducat in domum suam: nec solus devoret bona Christi, quæ ei largita sunt bonitate Christi, ut cum hilarem datorem diligat Christus, sine murmure retribuat pauperibus Christi. *Ambr. in suo past. super illud ad Tim. 1. Hospital.*

7. Hospes per famam eligendus est populi, et iudicio vitiorum: prædicationis dignitas susipientis infamia deturpetur. *Hier. super Matth. 10.*

8. Qualem mercedem habet qui propter Deum peregrinatur, talem habet qui suscipit peregrinantem, et fiunt ambo æquales, et qui propter Deum refrigerat, et qui propter Deum laborat. *Chrys. super Matth. 11.*

9. Socrates cum hospites suos satis tenui cæna susciperet, et amicus ejus hoc ei improperaret, respondit: Si boni viri sunt, æquanimitè ferent: si mali, non curabunt. Si res tua tibi non sufficit, tu parcendo fac, ut rei sufficiat tuæ. *Senec.*

Vide etiam in tit. Christianus, núm. 6. in tit. Sapientia, núm. 3.

HUMILITAS.

1. Discite à me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare: non in ipso mundo miracula facere, et mortuos suscitare: sed quod mitis sum et humilis corde. Cogitas magnam construere fabricam celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. *Aug. de verb. Dom.*

2. * Humilitate omnia facta nostra condiantur. *Aug. epist. 18.*

3. Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? cadere vis, non ascendere: à gradu incipe et ascendisti. *Ibidem.*

4. O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia depravata corrigentem! quæ superbia sanari potest, si humilitate filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientia filii Dei non sanatur? *Ibid.*

5. Non aliam tibi ad capescendam et oblinendam veritatis viam invenias, quam quæ monstrata est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus vidit in-

firmitatem. Ea autem prima est humilitas, et quoties interrogares, secunda humilitas, et tertia humilitas, et quoties hoc interrogares, dicerem: alludens dicto cuiusdam petentis à quodam philosopho, quod esset melius in rhetorica, respondit: prima eloquentia, secunda eloquentia, tertia eloquentia, et sic etc. *Aug. in epist. ad Diosc.*

6. Excelsa est patria, humilis est via: ergo qui quærit patriam, quid recusat viam? *Aug. super Joan.*

7. Qui paupertate contentus est, non est contentus injuria: et qui potest ferre verberum pœnas, exagitur verbo contumeliæ: et qui potest administrationes contemnere, dolet sibi aliquem honorificentia esse prælatum. Grande est in hominibus tenere humilitatis mensuram. *Ambr. super Luc. lib. 7.*

8. Bona humilitas nihil appetendo, totum quod contemnit adipiscitur. *Ibidem.*

9. Nihil excelsius humilitate, quæ quasi semper superior nescit extolli: quia nemo id affectat, quod infra se judicat. *Ibidem.*

10. Quisquis cupit divinitatis tenere fastigia humilitatis ima sectetur. Quicumque vult fratrem prævenire regnando, prius illum præveniat, obsequendo, sicut ait Apostolus, *honore invicem prævenientes*. Vincat eum officiis, ut possit vincere sanctitate. Si enim te non læsit frater, obsequium meretur, ut diligas. Quid si forsitan læsit, magis obsequium meretur, ut vincas. Hæc enim nostra christianitatis summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui ergo fuerit patientior ad injuriam, is potentior constituetur in regno. *Ambr. in quodam ser.*

11. Non inducta humilitas, sed quæ habeat sui modestiam et scientiam, laudatur. Scio humiliari: id est, in quo loco, qua moderatione, quo fine, in quo officio, in quo munere: nescivit Pharisæus humiliari, ideo dejectus est. *Ambr. lib. de Offic.*

12. Sæpe flectit humilitas, quod nec virtus potuit superare, nec ratio. *Ambr. in quadam epist.*

13. Nihil est quod nos ita et hominibus gratos

et Deo faciat, quam si vitæ merito, non magni sed humilitate infimi simus. Humilitatem sequere, non quæ ostenditur, aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimitur. Aliud enim est virtutem habere: aliud virtutis similitudinem. Multo illa deformior est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet, nescio enim quomodo turpia sunt vitia, quum virtutum specie celantur. *Hier. ad celant.*

14. Humilitas sola est observatrix custosque et nihil est, quod ita Deo gratum faciat et hominibus, quam si vitæ merito non magni, sed humilitate infimi videamur. *Hier. super Matth. 19.*

15. Tanto fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi: tanto pretiosior Deo, quanto propter eum vilior sibi. *Greg. lib. 18. moral.*

16. Quum per tentationem humilitas prospicit, prospera est illa adversitas, quæ mentem ab elatione custodit. *Greg. lib. 26. moral.*

17. Quia origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat: à qua nimirum, si absconditur, arescit: quia vivificantem se in infimis humorem charitatis perdit. *Greg. lib. 27. moral.*

18. Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. *Greg. ho. 6.*

19. Certe si nos cuiuspiam servus rogaret, ut ad eum ire deberemus, prolinus nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet, dicens: non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de cælo venit, qui servo in terra occurrere non despicit, et tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra sumus. *Greg. ho. 27.*

20. Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni: aliter olet flos uvæ: qui magna est virtus ejus: et opinio prædicatorum, quæ inebriat mentes audientium: aliter flos olivæ, quia suave est opus misericordiæ, quæ refovet et lucet: aliter flos rosæ quia myrrha est fragans, quæ rutilat et redolet ex cruore mar-

tyrum: aliter flos lilii, quia candida vita carnis de incorruptione virginitalis: aliter flos violæ quia virtus humilium, qui ultima loca tenentes, se à terra in altum non sublevant, et cælestis regni purpuram in mente servant: aliter redolet spica, quum ad maturitatem producitur, quia bonorum operum perfectio, societatem eorum, qui esuriunt iustitiam, præparat. *Greg. super Ezech.*

21. Humilitas vera est, qua quis de se parva æstimat, et bona alterius sine invidia et livore commendat. *Greg.*

22. Describitur Job tentatus, sed non tentatione prostratus: ut et majorum virtus spem nostram foveat, et majorum casus ad cautelam nos humilitatis attingat: quatenus dum illa gaudentes sublevant, ista metuentes premant. *Greg. in moral.*

23. Quisquis nunc sponte se non humiliat, nequam hunc sequens gloria exallat. *Greg. lib. 8. moral.*

24. Perit omne, quod agitur, si non in humilitate custoditur. *Ibidem.*

25. Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cogitatione sibimetipsi vilescit. *Bern. de 12. grad. hum.*

26. Non magnum est esse humilem in abiectione: magna prorsus et rara virtus humilitas honorata. *Bern. super Missus est.*

27. Honorari appetunt multi in schola humilitatis. *Ibidem.*

28. Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. *Ibidem.*

29. Cum ex aliis quibuscumque bonis, capere solet incrementum superbia, sola humilitas omnium propugnaculum, turrisque virtutum, ejus forsitan resistit malitiæ, obviat præsumptioni. *Bern. in epist.*

30. Bona humilitas, quæ et in præsentia ab hujusmodi mordacibus curis mentem facit quietam: et à minacibus pœnis in futuro securam reddit conscientiam. Humiliatio via est ad humilitatem: sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugas humili-

tionis. Solus qui vere humilis est, parcat animæ suæ: qui ne putetur, quod non est, semper, quantum in se est, vult nesciri, quod est. *Ibidem.*

31. Humilis debet esse et verecunda satisfactio, qua emendatur superba transgressio: nec sterilis verecundia grata est, nec humilitas præter veritatem illaudabilis est. *Bern. super cant.*

32. Oportet humiliter sentire de se nitentem ad altiora: ne dum supra se attollitur, cadat à se: nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus, quia nisi humilitatis merito, maxima minime obtinentur. *Bern. ibid.*

33. Quum te humiliatum videris, habeto illud signum in bonum omnino argumentum gratiæ propinquantis. Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii et libenter: primi rei sunt, sequentes innocii, ultimi justii. *Ibidem.*

34. Est humilitas, quam veritas nobis parit et non habet calorem: et est humilitas, quam charitas format, et inflammat: hæc quidem in affectu, illa in cogitatione consistit. In eo, qui graviter peccavit, et si amanda, non tamen admiranda humilitas. Sed si quis innocentiam retinet, et nihilominus humilitatem jungit, nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Rara avis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludi: et ideo beata, quæ utramque retinuit. *Bern. super ser. 46.*

35. Fode in te fundamentum humilitatis, et pervenies ad fastigium charitatis. Vis capere celsitudinem Dei? cape prius humilitatem Christi. Sola est virtus humilitatis reparatio læsæ charitatis. *Bern. in epistola.*

36. Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu summi Pontificis, quam humilitas, nempe si amittitur, illa virtutum aggregatio non nisi ruina est. *Ibid.*

37. Humilitatis summa in eo consistit, si voluntas nostra per omnia divinæ voluntati subjecta fuerit. *Bern. de sup. nost. vol.*

38. Sola, quæ non solet gloriari non novit præ-

sumere: contendere non consuevit, gratiam inventura est in oculis pietatis humilitas: non contendit iudicio, non pretendit iustitiam, quæ verè humilis est. *Bern. in epist. 42.*

39. Velle esse super omnes, vituperabile est: sustinere autem alterum super se, nimis gloriosum. *Chrys. super Matth. hom. 3.*

40. Qui humilis est corde, et indigniorem se aliis arbitratur, nunquam desiderat superior apparere: primatus enim fugientem desiderat, desiderantem se horret. *Chrysost.*

41. Quisquis gradus propriæ celsitudinis amat, humilitatis cultum in moribus diligentissimè teneat. Nam qui ab humilitatis operibus recedit, à dignitatis fastigio tumoris pondere cadit. *Chrys. in suo policratico lib. 4.*

42. *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Ecce mel humilitatis, cum dulcedine mansuetudinis: sicut enim mel concordat in confectionibus medicinæ cum omnibus diversitatibus specierum: sic ex humilitatis dulcedine condiuntur omnia genera virtutum. *Hug. lib. 5. de clauastro anim.*

43. Humilitas est ex intuitu propriæ conditionis, voluntaria mentis inclinatio. *Hugo.*

44. Nullo modo poterit in anima nostra virtutum structura consurgere, nisi prius jacta fuerint veræ humilitatis in corde nostro fundamenta, quo firmissime collocata perfectionis et charitatis culmen valeant sustinere. *Joan. Cass. lib. 12. de spirit. superbia.*

45. Vera discretio non nisi vera humilitate acquiritur. Hæc erit prima probatio, si universa non solum quæ agenda sunt, sed etiam, quæ cogitantur, referantur seniorum examini: ut nihil quis suo iudicio credens, illorum per omnia diffinitionibus acquiescat: et quod bonum vel malum debeat iudicare, et eorum traditione cognoscat. *In collationibus patrum collatione Moysi.*

46. Humilitas in paupere grata est, in divite glo-

riosa: humilitas inter inimicos blanda: superbia vero inter amicos ingrata. Blanda est et officiosa semper humilitas, in amicis grata: in contumeliis otiosa, non extollitur prosperis, non mutatur adversis, non extorquet servitium, non requirit voces adulantium, nisi quam se laudatione novit indignum. *Val. Epist. in quodam serm.*

47. Tria sunt, quæ radicata nutriunt humilitatem, scilicet assiduitas subjectionis, consideratio propriæ fragilitatis, et consideratio rei melioris. *Basil. in hexam.*

48. Erubescant elati: ubi credunt locum habere superbiam, cum cælum et terram ab humilitate videant occupatam. *Cass. super illud Psal. et hum. resp.*

49. Per humilitatem membra Christi sciunt diaboli vicisse superbiam. Per hanc fideles supra regna proficiunt: per hanc superbia tyrannica superatur: per hanc in æternum martyres coronantur: nec potest dici perfectus, qui hæc virtute est privatus. *Cass. super ill. Psalm. Humiliatus sum usquequaque.*

50. * Nulla tanta humilitas est quæ dulcedine gloriæ non langatur. *Val. Max. lib. 8.*

51. * Humilis satis est, qui æquo jure satis vivit, nec inferendo injuriam, nec patiendo etiam. *Livius. 1. Dec. lib. 5.*

Vide etiam in tit. Confessio, nûm. 11. in tit. Conscientia, nûm. 15. in tit. Consideratio et Contemplatio, nûm. 2. in tit. Correctio, nûm. 16, 40. in tit. Exemplum, nûm. 27. in tit. Honor, nûm. 11. in tit. Iustitia, nûm. 10. in tit. Juventus, nûm. 2. in tit. Laus, nûm. 11. in tit. Maria, nûm. 33. in tit. Modestia, nûm. 8. in tit. Paupertas, nûm. 19. in tit. Periculum, nûm. 6. in tit. Prædicatio, nûm. 35. in tit. Prælatio, nûm. 38. in tit. Sapientia, nûm. 34. in tit. Superbia, nûm. 9, 32, 46. in tit. Voluntas, nûm. 31.

HYPOCRISIS.

1. Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas: quia iniquitas est et simulatio. *Aug. super Psalm. 25.*

2. Quisquis appetit videri, quod non est, hypocrita est, simulat enim justum, nec exhibet: quia totum fructum in laude hominum ponit. *Aug. in lib. de ver. dom. in monte.*

3. Seneca eo damnabilis colebat idola, quo illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret, ul cum populo veraciter agere existimaretur. *Aug. lib. 6. de civ. Dei.*

4. Hypocrita qui latine dicitur simulator, avarus est: qui dum inique agens, desiderat de sanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ. *Glo. Aug. super illud Job. 27. Quæ est.*

5. Quam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispergit callidissimus hostis, circumcumbentes provincias, omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. *Aug. lib. de operib. monach.*

6. Cum cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa vel subtrahi vel negari, quæ isto velamine consecuti sunt, vel consequi cupierunt, tunc necesse est ut appareat utrum lupus sit in pelle ovina, an ovis in sua. *Aug. super illud Matth. 7. Qui veniunt, etc.*

7. Latet plerumque sub tristi amictu lascivia, et deformis horror vili veste obtegatur, ut secreta petulantium tegantur animorum. *Ambr. in quod. serm.*

8. Si castum me simulo, et aliud est in conscientia, habeo gloriam mercenariam, sed supplicia peccatoris: et in comparatione duorum malorum, levius est in alium aperte peccare, quam simulare et fingere sanctitatem. *Hier. super Esa. lib. 6.*

9. Quia strepitu labiorum benedicunt Dominum, et immunda mente veritati interius contradicunt. *Hier. super illud Matth. 6. Populus hic, etc.*

10. Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus, monstrum est, velut quædam bestia compacta, secundum illud Poëticum, Leo, pars prima, draco, media ipsa chimæra. *Hier. in quadam epist.*

11. Quia multi simulantes et ficti, ideo difficile invenitur in quo cor et facies, id est operatio atque doctrina in uno convenient: quum autem hoc inve-

nies, da gloriam Deo: quia hoc ejus donum est. *Glos. super ill. Eccl. 13. Vestigium cordis boni te facientis bonum difficile invenies.*

12. Væ peccatori terram ingredienti duabus viis. Duabus quippe viis terram peccator ingreditur, quando et Dei est, quod opere exhibet, et mundi, quod per cognitionem quærit. *Greg. lib. 1. moral.*

13. Simon crucem portans nequaquam moritur: quia omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriæ mundo vivit. *Greg. lib. 8. moral.*

14. Non indues vestem ex lana linoque contextam: per lanam simplicitas, per linum subtilitas designatur. Et nimirum vestis, quæ ex lana, linoque contextitur, linum interius celat, lanamque exterius demonstrat. Vestem ergo ex lino lanaque contextam induit, qui in locutione vel actione, qua utitur, intus subtilitatem malitiæ cooperit, et simplicitatem foris innocentia ostendit. *Ibidem.*

15. Quid in cunctis suis operibus hypocrita sperat, nisi reverentiam honoris, gloriam laudis, à melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari? Ecce quomodo adulteratur liquor balsami. *Greg. ibid.*

16. Hypocrita per arrogantiam depravatur, quum paratior est mori, quam corripri. *Ibidem.*

17. Hypocritæ qui etiam in peccatis gravissimis moriuntur, sanctos se esse reputant: quia sanctos se reputari æstimant. Student enim non virtutes colere, sed vitia tolerare. *Gregor.*

18. Qualis hypocrita imperitis innotescit, talis vult ab omnibus æstimari, et paratior est mori, quam corripri. Hypocrita quot viliis est plenus, quasi tot stercoribus in conspectu æterni judicis illius pectus foetet. Hypocritarum corda diabolus tacitus tenet, et quasi ipse quietus ibi dormit: ubi eos quos possidet, quiescere non permittit. *Greg. in moral.*

19. Quid est vita hypocritæ, nisi quædam visio phantasmatis, quæ hic ostendit in imagine, quod non habet in veritate? *Greg. ibid.*

20. Hypocrisis, est virtutum simulatione clausum vitium abscondere, et arte palliare. *Ibidem.*

21. Hypocrita in laude positus, si hunc quisquam corripere audeat, asperitate sua prolinus vitam corripientis caecat, reprehensum se in pravitate irascitur, loqui sibi redarguentem deterior efficitur, exasperatur, in contumeliam surgit, bona opera sua in usum propriæ laudis assumit quod solius proprium est Dei, sumit in laudem sui, scilicet gloriam. *Greg. in mor.*

22. Hypocritæ quo exterius hominibus placent, eo se interius aspicere negligunt, totosque se in verbis proximorum fundunt, et sanctos se esse aestimant, quia sic se haberi ab hominibus pensant. *Greg. lib. 11. moralium.*

23. Vult hypocrita scire divina eloquia, nec tamen facere: vult docte loqui, nec tamen vivere. *Greg. lib. 15. moral.*

24. Hypocritæ ante districtum iudicem excusationem de ignorantia habere non possunt, quia dum ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostendant, ipsi sibi sunt testimonium, quia bene vivere non ignorant. *Greg. 16. moral.*

25. Omnis hypocrita corpus per abstinenciam afficit, sed tamen per amorem gloriæ mundo vivit. *Greg. 4. moral.*

26. Hypocritæ per causas Dei, intentioni deserviunt sæculi, quia per ipsa quoque quæ se agere sancta ostendunt, non conversationem quærunt hominum, sed auras favorum. *Greg. 21. moral.*

27. Hypocrita, ut sine fine crucietur, vivere sine fine compellitur, ut cuius vita hic mortua fuit in culpa, illic ejus mors, vivit in pœna. Dicat ergo lucent quæ facta omnia, nec tamen consumetur, quia cruciatur, et non exlinguitur, moritur et vivit, deficit et subsistit, finitur semper, et sine fine est. *Greg. lib. 24. moral. super illud Job. Luet, etc.*

28. Quid dicturi sumus, qui iniqua operibus docemus, et sola voce ea, quæ sunt justa prætendimus? ossa jejuniis alleruntur, et mente turgemus: corpus

despectis vestibus tegitur, et elatione cordis purpuram superamus: jacemus in cinere, et excelsa non despiciamus, doctores humilium, duces superbiæ, ovina facie lupinos dentes abscondimus. *Greg. in reg.*

29. Hypocritæ volunt esse humiles sine despectu, pauperes sine defectu, bene vestiti sine solitudine, delicatæ pacis sine labore: aliis adulantes, aliis detrahentes, mordaces ut canes, dolosi ut vulpes, superbi ut leones extrinsecus autem lupi rapaces, mellis dulcedinem, id est, inanis gloriæ, et latentis lasciviæ, ut ursi quærentes. Volunt esse sine auctoritate iudices, sine visu testes: postremo falsi accusatores, et omni veritate carentes. *Bernard.*

30. Serpit hodie putrida tabes hypocrisis per omne corpus ecclesiæ, et quo tolerantius, eo desperatius, eoque periculosius quo communius. *Ibidem.*

31. Herodes devotionem promittit, sed gladium acuit, et malitiam cordis depingit colore humilitatis: hujus personam representant hypocritæ, qui dum fite Deum quærunt, illum nunquam merentur invenire. *Chrys. super Matth. 2.*

32. Nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatio, nam malum sub specie boni celatum, dum cognoscitur, non cavetur. *Chrys. super Matth. 7.*

33. Lupus tectus pelle ovina per vocem cognoscitur, et per actum ovis balat inclinatus deorsum, lupus ululat contra cælum: hoc superbiæ, illud humilitatis signum: ovis herbam manducat, lupus carnem. *Chrys. ibid.*

34. Hypocrita, si bonum est bonum esse, ut quid vis apparere, quod non vis esse? Si malum est malum esse, ut quid vis esse, quod non vis apparere? Si bonum est bonum apparere, melius est bonum esse. Si malum est malum apparere, pejus malum esse: ergo aut appare, quod es, aut esto, quod appares. *Chrysost.*

35. Tolle hoc vitium de clero, ut non velit hominibus apparere, et sine labore omnia vitia reseccantur. Ex hoc vitio nascitur, ut ne velit inter se

meliorem habere. *Chrys. super Matth. ho. 5.*

36. Pharisæorum justitia erat in ostentatione operis, et non in rectitudine intentionis: in locutione, non in opere: in corporis afflictione, non in mandatorum observatione: in minoribus observantiis, relictis gravioribus legis. *Chrys. super Matth. 5. Nisi abrup-
daverit.*

37. Hypocrita Græco sermone, in Latino simulator interpretatur, qui dum viliis malus sit, bonum se palam ostendit. Hypocrita enim falsum criminum judicium interpretatur. *Isid. 10. Etymol.*

38. Exitus manifestat, quod à principio celabatur, et quæ dubia sunt in origine, probantur à fine. *Hug. de meditat.*

39. Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, linea sanctitatis. Hypocrisis secunda simulat, prospera fallit, curiosa mentitur, et crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, jejuniū jejuniū perimit, oratione orationem vacuat, misericordiam miseratione prosternit. Hypocrisis cognata febrī, frigidō poculo propinat ardorem, quod corporibus est hydropis, hoc hypocrisis animabus. Hæc enim hydrops bibendo sili, hypocrisis inebriata est sili. *Pet. Rav. in serm.*

40. Totius injuriæ nulla captabilior, quam eorum, qui cum maxime fallant, id agunt, ut boni viri videantur: ideo Poëta. Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes: Impia sub dulci tuelle venena latent. *Ibidem.*

41. Præceptio cælestis vult jactantiam tollere, pompam auferre, vanitatem demere, submovere inanem gloriam: et sic justitiam vult celari. Justitia per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit. Illa verò justitia, quæ est hypocrisis, justitia non est, mentitur oculis, fallit aspectu, videntibus illudit, decipit audientes, seducit turbas, trahit populos, famam lædit et vendit, clamorem emit, mercedem rapit præsentem, præmium non quærit futurum, cæcat ocu-

los, cæca ipsa non videns vult videri. *Pet. Rav. ibid.*

42. Demosthenes cum interrogaretur, quid nam in dicendo esset efficacissimum? respondit, hypocrisis: interpellatus iterum secundo et tertio idem dixit. *Val. Max. lib. 9.*

43. Illud te admoneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint. Asperum cultum et vitiosum caput, et negligentem barbam et inductum argenti odium, et cubile humi positum, et quicquid ad laudem perversa via sequitur, evita. *Senec. 15. epist.*

44. Quid si nos hominum consuetudini cœperimus excerpere, intus omnia disimilia sint, frons populo nostro conveniat: non splendeat toga, nec sordeat quidem, non habeamus argentum, in quo solius auri cælatura descendit, sed non pulemus fragilitatis judicium auro argentoque caruisse. *Ibidem.*

45. Nempe propositum est, secundum naturam vivere: hoc autem contra naturam est, torquere corpus suum, et fertiles odisse munditias, et squalorem appetere, et cibis non tantum vilibus uti, sed horridis. *Ibidem.*

46. Non habemus ista odorifera, nec emptorem decipimus, nihil inventurum, quum intraverit præter illa, quæ in fronte suspensa sunt. *Senec. 55. epist.*

47. Multorum, quæ imbecillia sunt, latent vitia, instrumenta illis explicandæ nequitiae desunt. Sic tulo serpens pestifer tractatur, dum riget frigore: non desunt tamen illi venena, sed torpent: multorum credulitas, luxuria et ambitio, ut paria pessimus audeat, favor fortunæ defuit. *Senec. 42. epist.*

48. Virtutem bona sequitur fide, qui se non exornat et pingit, sed idem sive ex denunciato videatur, sive imperatus, at subito nihil simulatio proficit. Veritas in omnem partem eadem est. *Senec. 80. epist.*

49. Vis videri ab hominibus, an non? nunquam bonæ honestatis est longa simulatio. Quid de alienis moribus et tuis judices, multi sunt obligandi, pauci sunt offerendi. *Ibidem.*

50. Multo magis ad rem pertinet, qualis tibi, quam qualis aliis videaris. *Senec. 87. epist.*

51. Nunquam bona fide vitia mansuescunt: tigres et leones nunquam feritatem exuunt: aliquando submitunt, et quum minimè expectaveris, exasperatur torvitas mitigata. *Senec. ibid.*

52. Nemo potest personam fictam diu ferre: ficta in naturam suam cito recidunt: quibus autem veritas subest, ut illa dicam, quæcumque ex solido enascuntur, in majus meliusque procedunt. *Sen. ad Neron.*

53. Malus ubi se bonum simulat, tunc est pessimus. *Senec. in Prov.*

Vide etiam in tit. Abstinencia, núm. 6. in tit. Adulatio, núm. 32. in tit. Ambitio, núm. 18, 19. in tit. Avaritia, núm. 19. in tit. Confessio, núm. 32. in tit. Conscientia, núm. 19. in tit. Contemptus, núm. 6. in tit. Conversatio, núm. 2, 37. in tit. Cor, núm. 1, 2. in tit. Correctio, núm. 25. in tit. Detractio, núm. 7. in tit. Doctrina, núm. 30. in tit. Gloria vana, núm. 9. in tit. Honor, núm. 16. in tit. Humilitas, núm. 11. in tit. Inimicitia, núm. 15. in tit. Patientia, núm. 1. in tit. Perfectio, núm. 16. in tit. Prælatio, núm. 12. in tit. Religio, núm. 13, 29, 37, 39, 40. in tit. Sacerdos, núm. 20. in tit. Superbia, núm. 17, 39. in tit. Verecundia, núm. 18.

IGNORANTIA.

1. Melius est nescire, quam errare, melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. *Aug.*

2. Pessimæ matris ignorantia, pessimæ ipsæ duæ filia sunt, scilicet falsitas et dubietas: illa miserior, ista miserabilior: illa pernitiosior, ista molestior. *Aug. ibidem.*

3. Ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamque meritum. Statutis facere contraria, non est intelligere, sed ignorare. *Ambr. super Beati immaculati.*

4. Quid enim lucem videt, scilicet quod de tenebris

æstimet: nam qui candorem lucis ignorat, etiam obscura pro lucidis approbat. *Greg. in moral.*

5. Tolerabilius est Deo, quempiam cum ignorantia in humilitate jacere, quam cum elatione alta sapere. *Greg. 17. moral.*

6. Quum nostram ignorantiam cognoscimus, levius aliena onera toleramus: nunquam Deus mentem deserit, qui in peccatis se veraciter cognoscit. *Greg. lib. 4. moral.*

7. Non est parum scire, quod nescias: frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui, ut liberius peccent, libenter ignorant vel infirmantur. *Bern. super 12. grad. humil.*

8. Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut inquirendi verecundia, et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem. *Bern. in epist.*

9. Utraque cognitio, Dei scilicet et tui, tibi est necessaria ad salutem, quia sicut ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia ipsidem amor: sic econtra, de ignorantia tui superbia, ac de Dei ignorantia venit desperatio. *Bern. super Cant.*

10. Ignorantia Dei plerumque desperationem parurit. *Bern. in Cant. serm. 27.*

11. Ignorantia sui initium omnis peccati, ignorantia Dei, consumatio omnis peccati. *Ibidem.*

12. Hebetudo mentis est acutæ rationis obtusio, carnalis intemperantiæ crassis sensibus inducta. *Hugo.*

13. Tolerabilior est pœna, vivere non posse, quam nescire. *Senec. in Prov.*

14. Non est levius omnino nescire, quod liceat, quam facere aliquid, quod scias non licere. *Sen. ibid.*

15. Optimos ac gravissimos quisque confitetur se multa ignorare, et multa sibi etiam atque etiam esse discenda. *Ciccr. 5. Tusc.*

INCARNATIO.

1. Non liberaretur humanum genus, nisi sermo

Dei dignaretur esse humanus: nam et ille homo dicitur esse humanus, qui se exhibet hominem, et maxime hospitio suscipit hominem. Si ergo humanus dicitur, qui in domo sua suscipit hominem quam humanus est, qui in seipso suscipit hominem? *Aug. de verbis apostol.*

2. Si ergo homo non periisset, filius hominis non venisset. *Ibidem.*

3. O Judæe, citharam respice, ut musicum melos tonis dulcibus reddat. Tria pariter adesse videntur: ars, manus, chorda, et tamen unus sonus auditur: ars dicat, manus tangit, chorda resonat: nec ars, nec manus sonum reddunt, sed cum chorda pariter operantur. Sic nec pater, nec spiritus sanctus susceperunt carnem: et tamen cum filio pariter operantur. Sonum sola chorda exculit: carnem solus Christus accepit, operatio tribus constat. Sed quomodo pertinet ad solam chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio. *Aug. de incarnatione Domini contra Jud.*

4. Dicat mihi Judæus incredulus, quemadmodum arida virga fronduit, et floruit, et nuces protulit, et ego dicam illi, quomodo Virgo concepit, et peperit. Sed profecto Judæus nec virgæ poterit explicare conceptum: nec ego Virginis partum. *Ibidem.*

5. Formam viri assumendo et de femina nascendo, utrumque sexum hoc modo honorandum indicavit. *Aug. cont. Faustum.*

6. Si ratio queritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare: Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. *Aug. in 2. epist. ad Volusianum.*

7. Vultis, inquit, ejus saltus agnoscere? de cælo venit in uterum, de utero venit in præsepium, de præsepio, venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, et de sepulchro rediit in cælum. *Greg. ho. 59. tractans ill. Cant. 2. Ecce iste venit saliens in montibus.*

8. Deus pater unicum filium suum in utero virginis humanæ naturæ conjungens, Deum ante sæcula sibi coæternum fieri voluit hominem in fine sæculorum: et quem sine tempore genuit, salvandis hominibus cum tempore ostendit. *Greg. lib. 2 et 6. moral.*

9. Mediator Dei et hominum, ut culpas nostræ transgressionis extingueret, venit mortalitatis nostræ flagella tolerare: et qui patri æqualis est per divinitatem, propter nos venit ad flagella per carnem, quæ nimium flagella non susciperet, nisi formam hominis damna redimendo sumpsisset: et nisi primus homo delinqueret, secundus ad passionum probra minime veniret. *Greg. lib. 5. moral.*

10. Christus in carne natus de Virgine, contagione culpæ inquinatus non est: et tamen ultione culpæ depressus est: admissa propria non habuit, et tamen pænam carnalium sine culpa suscepit. *Ibidem.*

11. *Christus mediator*, etc. Ut quia per ima nostra longe distabamus a summis, in seipso uno jungeret ima summis, atque ex eo nobis via redeunti fieret, in qua summis suis ima nostra copularet. *Greg. lib. 20. moral.*

12. Tria opera, tres misturas fecit omnipotens illa majestas in assumptione nostræ carnis, ita mirabiliter singularia, et singulariter mirabilia, ut talia, nec facta sint, nec facienda amplius super terram. Conjuncta quidem sunt ad invicem, Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Verbum enim anima et caro in unam convenere personam, et hæc tria unum, et hoc unum tria sunt: nec in confusione substantia, sed in unitate personæ. Hæc est prima et superexcellens mistura. Secunda, est virgo et mater utique et admirabilis et singularis: a sæculo non est auditam, quod virgo esset, quæ peperit, et mater esset quæ virgo permansit. Tertia est, fides et cor humanum, et hæc quidem inferior, sed non minus forsitan fortis. Mirum enim quomodo cor humanum his duobus fidem accommodavit, quomodo credi potuit, quod Deus homo esset, quod virgo fuerit,

quæ peperisset. Sicut ferrum et testa jungi non possunt, sic hæc duo nequeunt commisceri, si non misceatur glutinum, spiritus scilicet Dei, et hæc quidem mistura excellens, secunda excellentior, sed tertia excellentissima. *Bern. serm. 10.*

13. Quanti te fecit Deus, ex his, quæ pro te factus est, agnosce, ut appareat tibi benignitas ejus in humanitate. Quanto enim minorem se facit in humilitate, tanto majorem exhibuit in bonitate: et quanto pro me vilior, tanto mihi charior. Adverte homo, quia limus es: et non sis superbus, et quia Deo junctus es, non sis ingratus. *Bern. serm. 22.*

14. Venit medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita. *Bern. admi. templi in serm.*

15. Nemo hominum novit, nec noscere potest ad plenum, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad salutem, penes seipsam contineat hujus venerandi mysterii, scilicet humanæ redemptionis inscrutabilis altitudo. *Bern. in quadam epist.*

16. Scio quod caro verbum factum est, et quomodo factum sit, nescio, jam, quæ ego nescio, omnis creatura ignorat. *Chrys. in hom. 5.*

17. Salva proprietate utriusque substantiæ et in unam coeunte personam, suscipitur à majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, et ad rependum conditionis nostræ debitum. Nam inviolabilis natura est unita passibili, Deusque verus, et homo verus in unitate Domini temperatur, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei et hominum mediator mori posset ex uno, et resurgere posset ex altero. *Leo papa in serm.*

18. Ubi incarnatio hoc facienda contulit quod facta, et sacramentum salutis humanæ in nulla unquam antiquitate cessavit, quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt prophetæ, nec sero est impletum quod semper est creditum, nec minus adepti sunt, qui in illud crediderunt promissum, quam qui susceperunt donatum. *Leo papa ibidem.*

19. Tempus restorationis est incarnatio Verbi, cum omnibus sacramentis suis ab initio sæculi et quæ sequuntur. *Hug. lib. de sacramentis.*

20. Nulla causa veniendi fuit, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla causa est medicinæ. *Hugo ibid.*

Vide etiam in lit. Adventus et Amor, núm. 13. in lit. Angelus, núm. 14. in lit. Ascentio, núm. 11. 20. in lit. Humilitas, núm. 13, 18. in lit. Maria, núm. 6, 25, 34.

INFERNUS.

1. Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Illum quippe divitem in ardore pœnarum, et illum pauperem in refrigerio gaudiorum esse intelligendos non dubito. Sed quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa divitis lingua, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii, vix fortasse à mansuete quærentibus, contentiose autem certantibus nunquam invenitur. *August. de Gen. lib. 8.*

2. Neque enim fatigare nos debet incerta eorum pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio. *August.*

3. In inferno etsi erit stimulus pœnitentis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis, à quibus ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus ab eis possit diligi, vel desiderari justitia. *Aug. de fide ad Petrum.*

4. Ita diviti illi, qui apud inferos torquebatur, fuit cura de vivis, quamvis, quid agerent, omnino nesciret; quemadmodum est nobis cura de mortuis, quamvis, quid agunt, utique nesciamus. *Aug. de cura pro mortuis habent.*

5. Apud inferos nulla nec veritas, nec ratiocinatio est. *Aug. de ver. religio c. 51.*

6. Illa ultrix flamma vitiorum concremationem, et lumen non habet: quia quo illos gehennæ flamma devorat, à visione veri luminis cæcat, ut foras eos dolor

combustionis cruciet: et intus pœnâ cœcitalis obscuret, quatenus qui Auctori suo corpore et corde deliquerunt, simul corde et corpore puniantur, et utrobique pœnas sentiant, qui dum hic viverent, pravis suis delectationibus ex utroque serviebant. *Greg. 6. moral.*

7. Unus gehennæ ignis credendus est, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. Uniuscujusque enim quantum exigit culpa, tantum illic sentiet pœnam. *Greg. 4. Dialogo.*

8. Gehennæ ignis cum sit corporeus, ut in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur: sed creatus semel durat inextinguibilis, et successione non indiget, et ardore non caret. *Greg. 20. moral.*

9. Quisquis ad toleranda inferni mala descendit, nequaquam ulterius ad lucem redibit: quia nequaquam ultra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus justitia judicantis damnat. *Greg. 9. moral.*

10. Tunc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit: tunc infinitum patens inferni barathrum devorat, quos inanis elatio nunc exultat, atque qui olim ex vitio voluntatem hic callidi persuasoris expleverunt, tunc cum duce suo reprobi ad tormenta perveniunt. *Greg. ibid.*

11. Juxta modum culpæ pœna distinguitur, et secundum modum criminis, unusquisque damnatus in inferni igne cruciabitur. *Greg. lib. 20. moral.*

12. Sicut in hoc mundo multi sub uno Sole consistunt: nec tamen ejusdem solis æquanimiter ardorem sentiunt: quia alius plus æstuat, alius autem minus: ita illic in uno igne non unus est modus incendii, quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut et ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat. *Greg. lib. 4. Dialogo.*

13. Ejicientur in tenebras exteriores, ut illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebant. Nam fletus de ardore, stridor solet excitari de frigore: ibi

duplex ostenditur esse gehenna, scilicet nimii frigoris, et intolerabilis fervoris. *Greg. super illud Matth. 8. Ejicietur in teneb. etc.*

14. In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, factor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum. Erit enim miseris mors sine morte, defectus sine defectu: quia mors ibi semper incipit, et deficere nescit. *Ibidem.*

15. Ibi clamavit pilosus ad pilosum, unus ad alium, dæmon ad dæmonem: Percute, dilacera, interfice, velociter spolia detrahe, cito prædare, infer prunas, et ebullientibus impone lebetibus. *Bern. in quodam serm.*

16. Prius benedicti vocabuntur in regnum, quam maledicti in caminum ignis dejiciantur æterni, quo videlicet acrius doleant videntes, quid amiserint: et justi videbunt et lætabuntur considerantes, quid evaserint. *Bern. ibid.*

17. Ibi erit fletus et stridor dentium, fletus quidem ob ignem, qui non extinguitur, stridor ob vermem, qui non moritur, plane fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. *Bern. in serm.*

18. Intolerabilis res est gehenna: quis nesciat illud supplicium horribile? tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil est tale dicturus, quale est à beatæ illius gloriæ honore propelli, exosum esse Christo et audire ad illo. *Non novi vos. Chrys. hom. 28.*

19. Ignis gehennæ lucebit miseris ad augmentum, ut videant unde doleant: et non ad consolationem, ne videatur unde gaudeant. *Isid. lib. 1. de sum. bon.*

20. Infernus, lacus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili, ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. *Hug. lib. 4. de anima.*

Vide etiam in tit. Avaritia, núm. 3. in tit. Mors, núm. 18, 46. in tit. Pœna, núm. 11, 12, 15, 20, 24.